

est, perque stabula ac diverforia mulionibus ac viatoribus, praeter modum fuit comis, ut mane singulos, jamne jentassent? sciscitaretur, seque fecisse ructu quoque ostenderet. Castra ingressus nihil cuiquam poscenti negavit, atque etiam ultrò ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia demisit. Quid his artibus? Imperium venabatur. Imperium, quod densissimis & curarum & laborum vepribus obsepsit Natura.

Aut non nôrat tanti fastigii tempestates Vitellius; Aut si norat, extra suam capacitatem positas contempsit. Viam si superasset, in vertice sibi omnia tuta promisit; Sed monstra invenit. Qui Privatum in Imperiale Solium evexerant, iidem Imperatorem infesto mucrone detraxerunt. Quid Lauream jactas Vitelli! Haud diuturnus est indignae felicitatis splendor! Tui Similes

*Tolluntur in altum
Ut Lapsu graviore ruant.*

XXV.

TITUS.



Tutissima Imperialis fastigii basis est Obedientia Subditorum. Ut hanc Gentilium Principes vel conciliarent, vel extorquerent, diversas plerumque ingressi sunt vias; Pars Clementiae studuerunt, Pars Severitati. Utri rectius? vix dixeris. Clementia absque severitate lenitas est, Subditisque luxuriandi & vires dat & otium; Severitas absque clementia est tyrannis, quae miserimae plebi, si non justas, necessarias tamen seditionum causas propinat. Utrinque quod quaeritur, amittitur. Rari sunt, qui alterutro felicitatem publicam vel stabiliverint, vel conservarint. Nec amor absque autoritate paratur, nec metus absque clementia. Contemptus est, quod ex lenitate oritur, quod ex nimia severitate, odium. Si veram plebis conciliandae rationem desideres, in **Titi** effigie habebis paratissimam: Forma vel **SUETONIO** teste, est egregia, continetque non minus autoritatis quam Gratiae!

En